

*Gradivum tenuit compede Sparta gravem,  
Præpte privatum penia Victoriam Athene,  
Quisque suis votis cogit adesse Deum.*

26 Vanè quidem, & ridicule omnes, cum nulla ex his catenulis sperari victoria permansi, au securitas possit; & ut aliquam aliquando belligerantes sibi promittere valeant, ea, ut Onosander (*k*), & Leo Imperator (*l*) prudenter scribunt, ex justa bellandi causa, maturoque prius consilio perpensa, & ex Dei Auxilio, supplicibus votis, & orationibus praecedentibus (ut infra latius dicemus) auspicanda sit. Hic enim solus, ut Regius vates (*m*) cecinit, *Rex magnus super omnem terram, subiect populos nobis, & gentes sub pedibus nostris.* Et secundum D. Augustinum (*n*), quando pugnatur spectat, & partem, quam inspicit justam, ibi dat palnam. Unde & Salvianus (*o*) dicitre potuit: *Ide Deus infirmissimis hostibus cuncto tradidit, ut ostenderet scilicet, non vires valere, sed causam.*

27 Qnòd vel ipsi Athenienses, licet victoria alas ademerint, sàpius experti sunt, magno suo malo ceteris Nationibus indicantes, nullam Rempublicam instabilorem esse, quam quae sàpius arma tentaverit. Quoties enim in extremum discrimen Athenæ venerunt? à Persis exustæ, à Lacedemoniis oppresæ, ac moenibus spoliatae. A Philippo fractæ, ab altero Philippo afflīctæ: à Mitridate occisæ, & à Sylla tandem prope modum delectæ. Quin & Bellatrix illa Roma, quæ se Gentium omnium dominicem, & triumphaticem jactavit, à Tatio capta est, à Porsena obsessa, à Gallis incensa, à Pyrrho territa, ab Annibale concussa, suis denique civilibus armis dilacerata.

28 Unde Jacobus Bruck (*p*), armata manu pingens, quæ armatum suis spinis hystricem tangit, & angit, quo symbolo, Bruchio non viso, vel non citato Saavedra Noster (*q*) in alium finem usus fuit, hoc Emblema compositum.

*Nulla potens armis Respublica floruit unquam,  
Armis alterius quin superata foret.  
Armatum Armatus timeat, nec robore ferri,  
Se efferat, in tua sorte pericula latent.*

29 Maneat ergo, bellum non esse facilè suscipendum, nec certam pacem sperata victoria permutandam. Et de nulla res magis, aut crebrius deliberandum esse, quàm de bello, in quo bis peccare non licet, & ad quod Princeps vix descendere debet, etiam inevitabili necessitate permotus, nisi omnibus aliis primò remedii tentatis, & frustra consumptis. Cum nullum sit tan felix bellum, quo non potior iniqua pax sit, si sumptus, si discrimina, & reliqua damna, quæ ex illo provenire ostendimus, perpendamus, quæ verè satis hoc Monastico clausit ille qui dixit:

*Tot mala sunt Bello, rutilo quot sydera calo.*

30 Et prudentem quemque Principem monent (*r*), ut de jure suo citius decedat, quàm de summa periclitetur, & ut tantam fortuna plagam levi lateris inflexione declinet.

31 Utrum autem, quo casu bellum excusari non potest, magis expeditat, illud intra proprias provincias suscipere, vel in alienis, & hostilibus exercere? latè ad utramque partem ab omnibus ferè Politicis disputatur, & elegantem de hac quæstione dissertationem Nicolaus Vernulejus (*s*) scripsit. Frequentiusque in hanc ultimam iri solet, cui & Ego cum nostro Saavedra (*t*) calculum fero, si id occasio permisserit, & in bellum indicentis, vel suscipientis voluntate consistat. Hac enim ratione, damna ipsius bellii, que adeò lato sermone retulimus, in hostica, ut plurimum transferuntur, & bellum inferens, suos milites ad vigilandum, & fortiter dimicandum magis adstringit. Quam in rem cum plura testimonia, & divinarum atque humanarum Historiarum exempla, supra citati Auctores adducunt, contentus ero illud Romanorum expendere. De quibus Cicero (*u*) sic scripsit. *Fuit proprium Populi Romani, longè à domo bellare, & propugnaculis Imperii, sociorum fortunas, non sua testa defendere.* Unde & Polybii (*x*) monitum fluxit, *Bellum in hostile solum transferre, quantum possumus, debemus. Nam ea ratione magis terretur hostis, & ad sua tutanda revervocatur.*

## EM-

(*k*) Onosand. cap. 4. *Stratag.*

(*l*) Leo Imper. in *Tatitic.*

(*m*) Psalm. 146.

(*n*) D. August. epist. 194.

(*o*) Salvian. lib. 1. de provid.

(*p*) Bruch. in Emb. 2. p. Emb. 19.

(*q*) Saaved. Emp. 59.

(*r*) Jul. Ferret. Agric. Sadolet filiac. Junius Scrib. Ayala. Menochius Marquez, & alii apud. Quignonius in addit. ad dissert.

(*s*) Vernul. fol. 141. & seqq.

(*t*) Saaved. emp. 94. pag. 675.

(*u*) Cicer. pro leg. manilia.

(*x*) Polyb. lib. 1. hist.

## EMBLEMA XC.

## REGUM BELLA POPULOS QUASSANT.



*Ecce Notus, Boreasque furunt: Gravis imminent ira  
Famque in bella ruunt: iste flat, ille reflat.  
Quid faciat pelagus, ventis quatinentibus undas?  
Turbatur præceps: hinc furor, inde pavor.  
Rex Aura imperii: Populus mare: prælia sævi  
Dum Reges miscent, Plebs furit, audet, hiat,*

## COMMENTARIUS.

**E**T si de Belli damnis Lernaisque faucibus, aut facibus, satis dixisse videri possim, & pauciora dicere conveniret, si Deus pacata Nobis tempora largitur: cum tamen, pro dolor, per tot annorum curricula inter Christianos, & affines Principes unum bellum alterum trahat, & illorum finis, nec dum apparet, non verebor pluscula adhuc alia in eorum detestationem subnectere, & cum Poeta canente concinere.

*Bella necant homines, faciunt sine honoribus Aras,*

*Urbis & agrorum depopulantur opes.*

*Ab pereat tanti fuerit qui criminis auctor,*

*Tristisque bionanas misit ad arma manus.*

2 Deumque, & ipsos simul Principes exorare, ut inter eos cessen Dominandi libido, no-cendi cupiditas, ueliscendi crudelitas, impacatus, atque implacabilis animus; feritas rebellandi, & si quæ similia his sunt, quæ in bellis jure culpantur, & ad pacatiorem mentem, & saniora consilia redacti, cognoscere incipient, quietem suavissimam Populi, & tranquillam dispositionem regionum, ut bene Cassiodorus (*b*) admonuit, precipuam gloriam, & eximum præconium esse Regnantium. Seque pro remedio, salute & conservatione, non pro strage, & internecione datos esse cunctorum.

3 Indeque Herculem, & præclaros olim Heroas, aique Imperatores *Callinici* cognomento, quod Servatorem significat, ut Plutarchus (*c*), & alii (*d*) tradunt, esse gloriatos. Cujus se nullatenus dignos reddere poterunt, qui, ut cum Seneca (*e*) loquar, *Ubi se tan Magnos, quād audiunt, credunt, attrahunt supervacua, & indiscrimen omnium pertentura bella, & se ipsos, ac suos pa-*

Zzz 2

(*a*) D. August. epist. 207. in cap. quid. culpat. 23. (*c*) Plutarch. in *Coriol.*  
quest. 1.

(*b*) Cassiod. lib. 5. epist. 39. & lib. 2. epist. 29. & lib. 6. epist. 23. (*d*) Pindar. Od 20. ubi de *Hercul.* Justin. lib. 38. ubi de *Seleuco.* Procop. lib. 11. de bell. Pers. ubi de *Justiniano.*

(*e*) Senec. lib. 6. de benef. cap. 30.

riter , tot damnis , periculis , atque ærumnis exponunt. Scientes , vel scire debentes , quod (secundum antiquum Homeri (f) carmen , ab Aristophane (g) , & Polybio (h) laudatum ) prorsus est.

*Indignus legum auxilio , Laribusque , Tribuque ,  
Qui populos inter civilia suscitat arma.*

4 Et secundum Ciceronem (i) , Nec privatos focos , nec publicas leges , nec libertatis jura cara babere potest , quem discordia , quem cædes civium , quem bellum cruentum delectat , eumque ex numero hominum ejiciendum , & ex finibus humanae naturæ exterminandum. Nec sine causa Poetas finxisse , bellum ab inferis per Furias immitti , quod tantum malorum agmen secum trahit , & quicquid est verò Religionis , quicquid bonarum legum , quicquid civilis disciplinae , quicquid proborum morum , quicquid honestarum artium , militaris licentia corruptum , & Christianorum vires opesque , plaudentibus , è diverso , nostra Fidei hostibus labefacta.

5 Unde hos Aulae Martis asseclas , & servientis discordiae effectus , atque flagella , pulchre descripsi post Virgilium (k) Statius Papinius (l) , sic inquiens.

*Primis salit impetus ardens.  
E foribus cœcumque nefas : occultisque ensibus adstans  
Insidie , geminunque tenens discordia ferrum.  
Innumeris strepit Aula minis. Tristissima virtus,  
Stet medio , letusque furor , vultusque cruento  
Mors armata sedet.*

6 Et pulchrius Petronius (m) Arbitrus in Satyrico , Bellone , flagellum , & Discordiae facem atribuens , quibus Orbem , dum bellis concutitur , divexant , vastant , & populantur his verbis.

*Intremuere tube , sciso discordia crine ,  
Exstudit ad superos stigium caput , hujus in ore ,  
Concretus sanguis contusaque lumina flebant :  
Stabant irati scabra rubigine dentes ,  
Tabo lingua fluens , obessa Draconibus ora ,  
Atque intorto laceratam peñore vestem ,  
Sanguinea tremulam quatiebat lampada dextra , &c.  
Quam cum sanguineo sequitur Bellona flagello.*

7 Aristides (n) etiam à Lilio Giraldo relatus , eisdem fermè verbis discordiam , & seditionem describit. Et si qua est fides historiis (o) , sub Theodosio Imperatore , Antiochia , nocte , precedente diem , quo ibi seditione mota fuit , populo concitato contra Imperatorem , spectrum mulieris visum est , magnitudine insitum , & aspectu horrendum , quod quidem in sublimi per civitatis plateas discurrens , aerem flagello horrisono verberabat , ut quemadmodum ad iram feras incitant ii , qui operam suam ad bujusmodi spēcula navant , ita hanc seditionem , demonum insidiis , Genius aliquis malus commovisse videri posset.

8 Qua sanè mala cum frequentius ob Principum dissidia , & conflictationes , in suis populos deriventur , sæpeque accidat , ut maxima illorum pars ad eos redeat , ad quos nihil pertinet bellum , quibusque invitis , & abominibus illud geritur , præclaræ mihi ad hoc denotandum ac dehortandum similitudo visa est ea , quam Joachimus Camerarius (p) excogitavit , & in Emblema deduxit , ex duobus lignis , sive baculis lauri , vel hederæ quorum , juxta Plinium (q) , & alios (r) , hæc est natura , ut inter se collisis , ignis eliciatur , & se mutuo succendant , cum lemmate , vim ex vi. Et hoc Disticho.

*Dama dat , atque facit vis vi collisa Potentum ,  
Ranorum attritu , ut flamma resultat edax.*

Sed nec minus hæc , quæ præsens hoc nostrum Emblema figurat , ex contrariis ventis , suis furiosis , ac vehementibus flatibus , mare , alijs quietum , & placidum perturbantibus , ejusque undas , malefidasque carinas , nihil tale commeritas , sursum ac deorsum diris tempestibus agitantibus. Cui facem D. Chrisostomus (s) præbuit , qui in quadam homilia sic habet. *Quemadmodum certantibus ventis mare concutitur , sic Regibus adversantibus sibi , populus Regni vexatur , & Osseas (t) dum dixit : Ventum seminabunt , & turbinem metent.*

9 Etenim , ut in corpore humano capitilis morbi , & dolores reliqua membra conturbant , sic in mixto Reipublicæ , Principum commotiones , & contentiones , totum Regnum afficiunt , & quæ-

(f) Hom. 9. Iliad.

(g) Aristoph. in dramate de pace.

(h) Polyb. lib. 12.

(i) Cicer. Philip. 13.

(k) Virgil. 1. 6. 7. & 8. Aeneid.

(l) Stat. Theb. 7.

(m) Petron. in Satyr. in carm. de bell. civil.

(n) Aristid. apud Gyrald. de diis gent. pag. 32.

(o) Nicephor. lib. 9. cap. 42. & alti in vita Theodos. Mag.

(p) Joachim. Camer. cent. 1. Embl. 33.

(q) Plin. lib. 16. cap. 40.

(r) Sen. lib. 2. nat. quer. cap. 22. Lucret. lib. 5.

(s) D. Chrys. hom. 2. oper. imperf.

(t) Oseas. 8. 7.

verum est illud Carmen ostendunt.

*Quicquid delirant Reges plectuntur Achri.*

10 Quod Horatius (u) ex Homer. Odissea desumpsit , & jam in Adagium versum , pluribus illustrat Erasmus (x) , inquiens , cuiuslibet peccati , vel erroribus à Regibus admissi , eorum subditos poenas pati , luere , ac sustinere , & exemplum Davidis (y) , & Agamenonis (z) adducens de quibus supra mentionem feci (a).

11 Hujusque rei rationem elegantem tradit Justinus Martyr (b) à P. Francisco de Mendoza , & à me supra alio (c) in loco relatius , & memorabile exemplum Rodericus Archiepiscopus Tolletanus (d) , in miserabile totius Hispaniæ nostræ calamitate , quam ob Roderici Regis sui inconsultas actiones , & enormia alia scelera passa fuit , ipsamque , *Belo miserabiliter consumato , fletu madidam , ululato clamoram , advenis hospitam , civibus peregrinam , nudatam incolis , orbatam filiiis , confusam barbaris , infestam sanguine , stupidam vulnere , & suorum solatio desolatam efficit.*

12 Et in hoc ipsum respiciens Cassiodorus (e) Duos Reges inter se certare gestientes , hac ratione , inter alias , ad Pacem hortatur. *Non leviter Regna vestra quassatis , si data partibus libertate confligitis. Virtus vestra patriæ non fiat impinata calamitas : quia grandis invidia est Regum in causis levibus gravis ruina popularum.*

13 Et Andreas Canonierius (f) post plures alios Auctores relatios , qui has Bellorum clades , & subditorum damna ob Regum dissidia , & conflictationes referunt , & exaggerant , prudenter considerat , quod quemadmodum pestis , quæ Deus (ut Erasmus (g) ait) nostris offensus criminibus , noxi syderum influxu , & temporum alteratione , sub concavo Orbis Lunæ excitat , est omnium morborum terrorinus , quia latius grassatur , civitates , & provincias depopulatur , in universo orbe , hominum atque armorum stragem miserabilem edit , ac gravissima vita politice incommoda afferit : nam à Sacerdotibus sacra munia deseruntur , ab artificib[us] artes , opera , ac gymnasia puerorum intermituntur ; parentibus , aſtinibus , ac propinquis mutua auxilia denegantur , matrimonium accessus , congressus , colloquiciones interdicuntur , civitates à civibus relinquuntur , commercia conquiescent , supellex à latronibus diripiuntur , rerum convectiones tolluntur , vetera nec venduntur , nec emuntur , carcere recluduntur , omniaque metu , timore , mærore conturbantur. Sic bellum est omnium morborum Politicorum pernitiössimum : nihilque crudelius , trulentius , ac molestius est in rerum natura impio , ac scelesto bello. Nam furiosi , ac trulentili milites tempora expilant , nobilissimas familias ad miserandam deducunt egestatem , proterunt segetes , vina ac cervisia spargunt , rusticorum supellecilem flammis absument , divina enexpiabili scelere pollunt , familiares jugulant , & in eos , quos tueri , ac tegere deberent , quovis immannissimo hoste crudelis debacchantur , agros depopulantur , in armenta , ac pecudes sæviunt , arboris succidunt , vineas proculant , puellas vitiant , domos libidinibus , contumelias , opprobriis , ac injuriis implent , mulieres rapiunt , vel contaminant , pavimenta puerorum , ac innocentium sanguine natant , parietibus , ac columnis non parcunt , urbes suffocant , vastant , diripiunt , ac funditus evertunt : civitates tectis denudent , terrores , minas denuntiant , ac omnibus pericula intendunt , res humanas sursum , ac deorsum miscent , omnibusque rebus igne , & ferro vastitatem inferunt. Tamdem bellum universum statum politicum corruptum , perurbat , ac omnium scelerum , flagitorum maleficiorum , ac delictorum genera homines docet.

14 His addi possunt similia ferè verba , que de eorumdem bellorum damnis , & detestatione Noster Saavedra (b) novissimè congerit , inquiens , quod , *Con ellas se descompone el orden , i amonia de la Republica : la Religion se muda : la Justicia se perturba : las leyes obedecen : la amistad , y parentesco se confunden : las artes se olvidan : la cultura se pierde : el comercio se retira : las ciudades se destruyen , i los dominios se alteran. I que por esto el Rey Don Alonso (k) llamò à la guerra , estrañamiento de paz , è movimiento de las cosas quedas , è destruimiento de las compuestas.*

15 Atque hoc plane est , quod apud Plutarchum (l) dixit Archidamus , *Bellum non querit diffinita , & Recentior alter (m) , Bellum statuta non habet , quippe quia , ut Quintus Curtius (n) inquit , etiam natura jura in contrarium mutat , & secundum vulgatum illud , sed semper memoria tenendum , Ciceronis , Silent leges inter arma , nec se exp̄ctari jubent , cum ei qui exp̄ctare velit , antè injusta pena luenda sit , quæ justa repetenda. Quem sequutus Valerius Maximus (o) , eamdem sententiam his verbis expressit. Inter armorum , namque strepitum , verba juris civilis exau-*

(a) Horat. lib. 1. epist. 1. ad Col.

(s) Erasm. in Adag. pag. 730.

(y) Reg. 2. 24. Paralip. 1. cap. 21.

(z) Joseph. 7. antiq. cap. 13.

(a) Sup. in Com. Emblem. 23.

(b) D. Just. orat. 128. ad Oribod. Mend. in annot. pro-

am. ad 1. lib. Reg. ann. 7. sect. 7. in fin.

(c) Ego didi. Emb. 23.

(d) Rod. Tol. lib. 3. cap. 21.

(e) Cassiod. lib. 3. epist. 4.

(f) Canonier. 1. tom. pag. 553.

(g) Erasm. diff. Adag. pag. 730.

(b) Saaved. Emp. 74 pag. 568.

(i) L. 1. tit. 23. part. 2.

(k) Plut. in apoph.

(l) Strad. de bell. Belg. lib. 1.

(m) Curt. lib. 9.

(n) Cicer. pro Milon.

(o) Valer. Max. lib. 5. cap. 2.

*dire non possunt, & Tacitus (p) his. In pace cause, & merita spectantur: ubi bellum ingruit, innocentes, ac invicti, juxta cadunt. Ennodius (q) quoque sic. Præliis temperantiam nullus annedit, statuta sunt dimicantium, quidquid non licet, nunc licere.*

16 Quodque pejus est, & magis dolendum, hujusmodi calamitates non solum per incursum, excessumve hostium, verum & ab ipsis nostris militibus generantur, quorum petulantiae, effrenatae libidini, & rapacitati, nihil non subiect, ubi semel in numeros sunt relati. Sive iter agant, sive in rusticorum vicis, & oppidis hospitentur, vel instati vis castra metentur, ut Ulpianus I. C. insinuat (r), de hac lascivia mentionem faciens, & latè Rævardus (s), & Radulphus Fornerius (t) prosequestur, & ante eos Joan. Nevizanus (u), plura de his damnis, & sumpta, eorum causa, aliquoties ab oppidanis vindicta, recensens, Aurelianique, Tamberlani, & aliorum Imperatorum severitatem, ad hanc licentiam cohíbendam, renovari desiderans, & laxatam, luxatamque valde, in hoc, ut in aliis, militarem disciplinam, que secundum Valerium Maximum (x). Aspero, & absiso castigationis genere indiget. In usum reduci percipiens.

17 Quibus accedit, Rusticanos, his quotidie damnis, & injuriis oppressos, & facultatibus, sèpè etiam filiabus, & uxoribus spoliatos, suis relictis paupertinis domunculis, pejores ipsis militibus fieri, & ira percitos, ad similia, vel majora sclera perpetranda, desperatos accendi, ut bend oboluit, & eleganti carmine doluit Michael Hospitalius (y), sic inquiens.

*Quid autem*

*Quid miser ille bonis prorsus spoliatus, avito  
Pulsus agro? Miseros unà cum conjugi natos,  
Exiliis secum comites agit, utque Leena,  
Cui sub rupe cerca parci stabulantur alumi  
Fertur acerba minans pecori, pecorisque magistris,  
Haud secus ille suos cernens periisse labores,  
Exhaustam cellam, vacua horrea frugibus, omne  
Instrumentum agri, & ville cum bobis ademptum,  
Nil adeò superesse, fanem quo pellere possit:  
Nec tam mente suam reputans, quam conjugis, atque  
Natorum exitium, subito capit arma furore,  
Non assueta prius. Quicunque fit obvici illi,  
Notus, an ignotus refert nihil, hostis, amicus,  
Sternit, & insontem spoliat, nudumque relinquit,  
Agresti ingenio, nihil importunus usquam est.*

18 Ut omittam incertum, sèpè, aut semper potius, ex utraque parte cruentum, & lachrymosum bellorum exitum, à Regibus conflictantibus initorum, qui tandem docet, magno omnium malo in illa prorrumpi, cum vieti, & viciores aequalem Martem mortemque perpeti soleant, & in pari ferme, damno, & calamitate manere, ut Græcum illud veri verbum ostendit. *Qui vivit periit, plorant qui succubuerit.* Quod inter sua Adagia reposuit Erasmus (z), exemplum in pugna apud Cheroneam inter Athenienses, & Thebanos commissa, proponens in qua omnes pariter perierunt, & in bello Trojano, per tot annos, pro quadam mala muliercula gesto, quod non minus exitiosum Græcis vicioribus, quam Trojanis vieti fuisse, illius Scriptores post Homerum enarrant. Quod & ipsum, pluribus aliis relictis, in memorabili illo prælio Ravenatensi, tempore Julii II. Roman. Pontificis anno 1512. contigisse, ultra alios refert Julius Ferretius (a), se ejus oculatum testem fuisse inquiens, & triginta, aut plura hominum milia utrinque succubuisse, ita ut licet Galli se viciores mansisse jactaverint, gravem, quam passi fuerunt, jaclaram hucusque sentire, & dolere non desinant. Additum, quod magis mirere, occisorum corpora, qui pro Ecclesia parte pugnarunt, sursum versa, & cœlum veluti apertis oculis spectantia, reperta fuisse, Gallorum autem & aliorum adversa factio, deorsum jacentia, & miserando aspectu, æternas, quas jam patiebantur poenas, veluti denotantia.

19 Est & aliud Proverbium, *Testa collisa testæ*, quod idem Erasmus (b) usurpari solere inquit, cum duo utriusque malo conflictantur, ut inter belligerantes contigit. Cum numquam pereat uterque: aut certè neuter, absque gravissimo damno discedat. Ex quo simili, eo non relato, Dyonisius Batillius (c) hoc, valde ad nostrum conducens, Emblema conficit, piëtis duabus tes-

(p) Tacit. 1. Annal.

(q) Ennod. in vita Epiphan. cap. 48.

(r) Ulp. in leg. ex condicâ 16. vers. Si vero. D. locat.

(s) Revar. 3. conject. cap. 6.

(t) Forn. 1. quot. cap. 29.

(u) Nevizan. in sylo. nup. lib. 4. ex num. 136. Dam-

houd. in præ. crim. pag. 105. in fin. & pag. 137. & seqq.  
ubi adducit carmina de laude bonorum militum, & detesta-

tione malorum.

(x) Valer. Max. lib. 2. cap. 2.

(y) Hospital. lib. 5. poem. in epist. ad Ducem Loth.

(z) Erasm. in Adag. pag. 706.

(a) Ferret. de bello, pag. 151. refert etiam hoc excidium

Saxaud. Empir. pag.

(b) Erasm. dicta pag. 706.

(c) Batill. Emb. 25.

taceis ollis in flumine nantibus, & se se mutuo impetu collidentibus.

*Dum paribus lutea, concurrunt viribus olla,*

*In varias partes utraque quassa perit.*

*Hinc finem incenuent belli sepiissimè Reges*

*Cum victo vîctor sorte caditque pari.*

19 Neque abest optimum, etiam simile ex Plini (d) pœnu desumptum, dimicationis inter Dracōnem, & Elephantem, eum esse finem tradentis, ut ille hunc circumflexus cruribus ambiat, & venenatis morsibus perimat; hic autem vîctus, corruens, suo immani pondere complexum dracōnem elidat, sic utroque æqualiter pereunte, nobisque exemplum præstante, eumdem exitum sæpè numero has, de quibus agimus, Regum inter se belligerantum conflictiones habere solete, dum alii in alios furentibus, seque invicem lacecentibus, vîctis ac vîctoribus finis æquè maturus contingat, utraque parte periente, & intereunte, damnumque mutuis stragibus dante, ac pariter accipiente. Quod etiam Batillius (e) in Emblema, Plinio non laudato, deduxit, & his versibus concinavit.

*Qualis ubi caude spatio corporis hostem est*

*Complexus, nodis implicuitque Draco.*

*Jam se vîctorem credit, simul ipse ruenit*

*Mole fera presus terga caputque perit:*

*Sic pereunt nostri per mutua vulnera cives*

*Victoresque simili vîcti, & utrique cadunt.*

20 Et in eisdem bellorum dannis referendis, & deplorandis multus est quoque Paulus Orosius (f), ea, Dei flagella ob peccata hominum vocans. Multus etiam Tertullianus (g), qui tamen considerat, aliquando à Deo tamquam scopas, & quidem asperitas ad purgandum mundum immitti, cum multoties homines onerosi sumus, & vix nobis elementa sufficient, & haec in verba concludens. *Re vera lues, & fanes, & bella, & voragine civitatum, pro remedio deputanda, tamquam tonsura insolentis generis humani, &c.*

21 Quæ omnia èo tendunt, ut Christiani Principes, quantum fieri possit, à bellis abstineant, quæ in se tot damna, & incommoda, tum ipsorum, tum præcipue populi suorum continent, scianteque, juxta Cassiodori (h) consilium. *Moderationem providam esse, que gentes servat, & tunc solum utile ad arma concurrere, cum locum apud adversarum justitia, non potest invenire.* Deoque rationem de subditis reddituros, quos bellis non necessarii diripendos, concutiendos, vel perimendos objecterint, ut pluribus omnes utriusque Scholæ (i), quos latè alibi citavi demonstrant, & notandis, ac tremendis planè verbis in revelatione quadam Diva Brigitta (k), omnino legenda, & jam à Nostro pio, & docto Eusebio Noriemburgio (l) relata, continetur, ubi Reges communatur, qui tot damnis, & malis subditos vexant, *quia non curant quot millia moriantur dum, tamen ipsi possint superbiam suam dilatare, &c.*

22 An autem, & quando, possit Princeps subditos sibi homines (etiam invitatos) ad bella compellere, & periculo mortis exponere? alibi (m) pluribus relatis, exposui, & Utopiensum morem, peregrinos conductuentes, ex Thoma Moro recolui. Pluraque de hoc arguento dicere supersedeo, quoniam de illo integrum satisque dolatum, e multò pumice expolitum librum edere parat D. D. Joan. Suarius de Mendoza Indici, apud Hispalenses Prætorii meritissimus Consul, & mihi multis ab hinc annis ob omnigenam eruditioem, & avidam selectorum librorum exquirendorum, & legendorum curam, plurimi habitus.



(d) Plin. lib. 8. cap. 12.

(e) Batil. Emb. 16. Tacit. 1. ann. Pernitiem aliis, ac postremum sibi invenire.

(f) Orosius lib. 1. cap. 1.

(g) Tertullian. in lib. de anima.

(h) Cassiodor. lib. 3. epist. 1.

(i) D. Thom. Sotus, Viet. Valenc. Molin. Cynus. Bel. lin. Greg. Lop. Cova. & alii apud Me 2. tom. num. 1. cap.

te 15. num. 61. & seqq.


(k) Brigit. lib. 8. cap. 56.

(l) Euseb. in Theopol. pag. 338.

(m) Ego 2. tom. lib. 1. cap. 13. num. 62. & seqq. ubi plures adducit & Thom. Moron in utopia lib. 2. & Vide etiam Pet. Greg. lib. 11. de Repub. cap. 3. Lips. 5. Polit. cap. 9. Berneg. ad Tacit. quart. 72.

## EMBLEMA LCI.

## BELLI INTER FINITIMOS REGES PERICULUM.



*Ecce hic Cybindum pugnans Jovis implicat ales;  
Complicat ille sinus: pulsat uterque solum.  
Interea venator adest, ac pressit, & illi,  
Cernunt, quando minus pertimere, necem.  
Sic vicina duo miscent cum prælia Reges,  
Hostibus externis illico præda cadent.*

## COMMENTARIUS.

**N**on solum hæc, quæ diximus mala, bella progenerant, verum, & Reges inter quos excentur, præsertim Christianos, & finitimos, atritis invicem viribus, externis, & infidelibus in prædam exponunt, eosque sibi formidabiles reddunt, quibus ipsi, mutuè se juvantes, formidini essent. Nulla enim quamvis minima Natio citò potest ab adversariis deleri, nisi prius propriis se ipsam similitatibus extenuaverit, nihilque civilibus, & intestinis odiis, & præliis ad invitandos hostes efficiacius existit.

2 Sunt quippe multi, qui, ut Aristophanes (*a*) ait, dum quieta sunt stagna, nullas anguilas venari, piscarive possunt, sed cœnum ubi hac, & illac subverterint, magnam faciunt capturam; vel vulturum instar, alienas simultares, & calamites expectant, & spectant, & ex occisorum cadaveribus suum uterum implent. Quo simili usus Florentius Schoonhovius (*b*) hoc Emblema compositus.

*In sua viætrici dum sœvit viscera ferro  
Patria, & innocuo terra cruento rubet,  
Vultur adest subito, defuncta cadavera pascens,  
Quodque alii damno est, hinc sibi lucra petit:  
Grassari quo tutæ queat ad munia opesque,  
Civica deposit prælia seditio.*

3 Satisque hoc novit, & docuit Tacitus (*c*), omnium Politicorum antesignanus, inquiens, *Nihil hostibus præstare maius fortunam posse, quam adversariorum discordiam;* & Vegetius (*d*) monens, sapientis Dux esse, discordiarum causas inter hostes disseminare. Neque idem ipsum latuit Sallustium (*e*), qui non contentus celebrem, illam sententiam protulisse, quæ jam loco Adagi (*f*) usurpatum, Concordia res parve crescunt, discordia maxime dilabuntur, de sua Romana Republ. veluti vaticinans, dixit, tunc exteris in prædam cessuram, cum ipsa in se ipsam intestinis bellis sœvierit, sic inquiens: *Ego sic existimo, quoniam omnia orta intereunt, qua tempestate urbi Romane fatum excidit.*

(a) Aristoph. in equit.  
(b) Schoonh. Embl. 4. pag. 13.  
(c) Tacit. de mor. Germin.

(d) Veget. de re milit. lib. 3. cap. 10.  
(e) Sallust. in Catilin.  
(f) Erasm. in Adag. Scarabæus Aquil. quærit, p. 719.

## Belli inter Finitos Reges periculum.

553

di adventarit, cives cum civibus manus conserturos. Ita defessos, atque exangues, Regi præda futuros. Alter non orbis terrarum, neque cuncte gentes congregatae, movere, aut contadere queant hoc imperium.

4 Quod cum postea reipsa contigerit, & Romani, relictis hostibus, in sua vicera ferrum convertere cœpissent, & ut Lucanus (*g*) canit, vel luget.

*Cognatas acies, infestisque obvia signis*

*Signa, pares aquilas, & pia manantia pilis.*

Statim præcipiti cursu imperium in impropterum mutarunt, & gentibus, quibus nœc dominabantur, patere, & parere, sæpèque sepius, viætrici olim lauro deposito, herbam mansue dare coacti fuerunt.

5 Apud Isaiam (*h*) quoque, hac via, sive plaga, se Egyptios percussurum & deleturum Dominus comminatur, Et concurrere faciam Ägyptios adversus Ägyptios: & pugabit vir contra fratrem suum, & vir contra amicum suum, cœritis adversus civitatem, Regnum adversus Regnum. Et dirumpetur spiritus Ägypti in visceribus ejus, & consilium ejus precipitabo.

6 Extantque plura alia antiqua recentioraque exempla apud plures alios, quæde hoc argumento pectrant. Quod Alciatus (*i*), ex Gobria apoloigo, depicta colluctatione leæz, & apri, quæm vultur arbori insidens, expectat, hoc Emblemate designavit.

*Cum sevis ruerent in matua vulnera telis,*

*Ungue Leena ferox, dente timendus aper;*

*Occurrit vultur spectatum, & prandia captat;*

*Gloria viatoris, præda futura sua est.*

7 Schoonhovius (*k*) etiam, ultra illud, quod supra retulimus, & in hoc Alati recedit, aliud addidit, ad ejusdem discordia effectum significandum, quod sic habet.

*Præda duos inter fuit olim splendida sturnos,*

*Hanc erat auxilio natus uterque suo.*

*Dividere hanc tentant, oritur discordia præcepis,*

*Que socios trahit ad bella gerenda animos:*

*Milvus hæc speculans, trepidantibus ad volat alis,*

*Cunque sua præda viator utrumque rapit:*

*Scilicet est hosti facilis victoria, quando*

*Discordes populi civica bella movent.*

8 Ego vero, ex Erasmi (*l*) similibus, & Adagiis, hoc, quod vides Lectr, deduxi, Cybindum cum Aquila pugnantem depingens, qua in pugna, dum se invicem alis, & unguibus validè implicant, volandi facultatem amittunt, & in terram lapsi, pastoribus, vel aucupibus faciem, & gratam exhibent prædam. Est autem Cybindus, quem alii Cymon, alii Cymindn, vel Gymendem appellant, ut post Aristotelem (*m*), & alios Gesnerus (*n*) scribit, avis interdiu ardo apparent, quia non clare videt, nigro colore, accipitræ magnitudine, forma longa ac tenui, ut noctu venatur, ut aquila, & cum ea bellum gerit internecium, eoque modo, quo dixi, cohætes, sæpè numero prendi solent. Unde Erasmus apè subnectit. *Ita fit aliquoties, ut dum mutum inter se odium exercent Principes, utrique subvertantur, tertio quoqiam invadente.*

9 Quod Claudius Minoes (*o*), magno suo malo Christianos Principes expatos faire, tradit, cum inter se decertantes, Solimanum Turcam, quasi expectatorem habuerunt, quæ statim in Germaniam irrumpens, ingenti totius Christianæ Reipub. calamitate, suam non parum ditionem adauxit. Eoque respexisse putat Alciatus in Emblemate supra relato, licet illius cūdend causam non aperuerit. Quam tamen Georgius Sabinius (*p*), qui eodem tempore vixit, sub simili alio Emblemate, hoc hexasticho prosequutus est.

*Mutua discorde faciebant prælia tardi,*

*Acri, & alitibus pugna duobus erat.*

*Vidit ut amborum prædo certamina nisus,*

*Unguis, & rostro dilaniavit aves.*

*Sic modò dum faciunt discordes prælia Reges,*

*Turcicus Europe diripit hostis opes.*

10 Et est valde communis, & frequens apud varios Auctores hic idem doct, & de Christianis Principibus querimonia, quibus inter se, ut cum Lucano (*q*) loquar.

*Bella geri placuit, nullos habitura triumphos.*

Aaaa

Quæ

(g) Lucan. 1. Phars.

(m) Aristot. de hist. animal. lib. cap. 12.

(h) Isaï. 19.

(n) Gesner. de avib. p. 48.

(i) Alciat. Embl. 125.

(o) Minoes in Alciat. dict. Embl. 125.

(k) Schoonh. Embl. 69.

(p) Georg. Sabini. apud Min. 12 supr.

(l) Erasm. in simil. 66. in Adag. Scarabæus Aquil. quærit, p. 719.

(q) Lucan. 1. Phars. in prince.

Quæ quidem, si junctis viribus in Turcas, & alios infideles, hæreticos converterent.  
Unde venit Titan, & nox ubi sidera condit,  
Quaque dies medius flagrantibus extuat horis,  
Et quæ Bruma rigens, & nescia vere remitti,  
Astringit Scythicum glaciali frigore pontum:  
Subjuga jam Seres, jam barbarus iset Araxes,  
Et gens si qua jacet nascentis conscientia Nili.

11 Indeque, ut piè, & prudenter inquit Bartholomæus Facius (r), triumphos, ac nomen sempiternum, veramque, solidam, & constantem omnium opinione gloriam consequi possent, quæ in se habet bellum, quod contra Barbaras gentes, contra Religionis nostræ hostes atrocissimos suscipitur, ac geritur, in quo qui interficiuntur, magnum pietatis locum apud Deum immortalem sibi vindicat.

12 Alia similia monita habentur in pluribus orationibus suosoriis ad bellum contra Turcas suscipendum, quas in unum volumen redegit Grossianus Typographus anno 1603. ubi inter alias emicat illa Baptista Mantuana, carminibus scripta, quæ sic exorditur.

O male consulte gentes, cognomine tantum  
Christianæ, scelerum altrices, fraudu[m]que magistræ:  
Oblite communæ bonorum: frennit undique Maxors,  
Et conjurati Regis Orientis, & Austri,  
Ac Boreæ, contra vestrum Regemque Dumque,  
Et vos arma magis tentare domestica vultis,  
Baccarique intra vestros, sine fine, Penates?  
O Christi concussa domus: jam plurima in isto  
Secunda agis barathro, &c.

Cui concinens alter, qui idem argumentum tractavit, Christum precatur, ut in Christianis Principibus nova pectora fingat, atque refingat.

Cum vitiis que bella gerant justissima, quæque  
A recto caveant defelere tramite vita,  
Heu, quæ miseris densissima turba malorum  
Circumstat, quæ Turca ferox, atque efferus hostis,  
Usque ab Hiperboreis progressus milite campis  
Inminet (heu) nostris cervicibus, omnia bello  
Infestans tristi, & furiæ concitus astro,  
Christiadum rabide jugulum, per viscera pascens.

13 Sed, & melius adhuc Franciscus Franchinus homo Italus, nominatim de Christianissimis, & Catholicis Galliæ, & Hispaniæ nostra Regibus agens, ad quos præcipue Nos nostra hæc commenta dirigimus, sequentibus carminibus in eamdem confederationem hortatur, quæ apud Claudium Minoem (s) habentur, ceterum quia valde ad nostram thesim conducunt, hic omitti non possunt.

Gallia cui paret, cui paret bellica tellus,  
Jam conferre manum Marte furente parant.  
Tisque animis, & tan concurvant fortibus armis,  
Turbidus, ut jam jam sanguine Sabis eat.  
Et tamen amborum cervicibus imminet hostis  
Thracius, in pharetris acer, & acer equis,  
Qui majus nil mente petit, nil voce precatur,  
Quæ simul ut pugnat bi duo Marte pari,  
Sperat enim nostris confratris viribus, omnem  
Europam parco posse labore premi,  
Ne, Reges, ne tantæ animis discordibus iræ,  
Ne gerite hostili bella petita prece,  
Illi in vires, & pectora vertite ferrum,  
Sternere qui telis audet utrumque suis.  
Roma rogat, Paulusque rogat, datque armia, dat armam  
Paulus, & ad tantæ pœnia laudis opem,  
Tu Deus, ex alto qui prospicis omnia cælo,  
Quique vides maneat quanta ruina tuos.  
Consule militibus sacris, & consule templis:  
His ducibus prohibe bella cruenta geri,

(r) Barthol. Facius lib. 10. hist.

(s) Minoes ad Embl. Alciat. 125.

Hi pietate graves, duo sunt lumina pacis,  
Hi duo sunt belli fulmina magne Pater,  
Infer te medium, liquidis da rubibus limes,  
Fac rapidum tonidis flumen inundet aquis:  
E castris anbosque jube discedere ab armis,  
Coge domum armipotens alter & alter eat:  
Seque putet neuter viçum, sed jalet uterque  
Victorem Populis se redisse suis (t).

15 Quod si adhuc Gallia externis monitoribus non acquiescit, audiat precor Petrum Costalium (u), qui in uno ex suis Pegmati, sub felici Noctua auspicio, cum Turcis bellandum ab eisdem Regibus, ita in carmine inquit:

Oppida collatis invadite Turcica signis  
Reges: vos etenim summa trophyæ manet:  
Cernite sperati præsagia certa triumphi:  
Vobis à dextra Noctua venit axis.

16 Et poste in commentario subjungit: Non esse ferendum vetus illud, & justum Christianæ Fidei patrimonium, nobisque à Majoribus hæreditarium, hominum nefariorum audacia violari, & diripi, quibus non tantum cum Religione nostra (hanc enim, vel ipsa natura oderunt) sed cum reliquis virtutibus perpetua semper dimicatio fuit: qui veterem illam Greciam, sapientie, & humanitatis omnis theatum, qui florentissimas Asia civitates, in quibus primùm clara voce, & incredibili constanza de Religione Christi decreta præscripta sunt, tanto studio, & admirabili consensione bonorum omnium, qui Christianorum Conventus frequentes Oriente toto funditus deleverunt, hi tandem nostrorum hominum patientia abuti possint, horum scelus, & impietas in oculis, in auribus, in lateribus Regum, & Principum versari permittatur.

17 Ac planè cum tam Hispaniæ, quæ Francia Reges se Hierosolymitani Regni legitimos successores, jam dudum esse contendunt, ut ex traditis à Borrello (x), Cassano, & aliis (y) colligi potest, præclarè quoque monet Franciscus Zipæus (z) longè melius futurum fore, de eo recuperando, & gloriose Christi Domini Sepulchro nobis asserendo, quæ de vacuo, & nudo nomine decertare.

18 Quibus accedit, Christianissimos etiam Galliæ Reges gloriari solere, se Imperii Constantinopolitani titulo ab Alexandro VI. Roman. Pontif. fuisse donatos, ut Cassanus (a) tradit, & Bzovius (b) insinuat, quod si verum est, longè etiam utilius, & glorioius ipsis existeret, in eosdem Turcas arma movere, ibique, invidente, impediente nemine, sed potius plaudentibus omnibus, amplissimum illud imperium in justè Christianis eruptum, Christianissimæ Coronæ suæ non solùm verbo, sed re ipsa, ingenitis sibi bellicis ardoribus, aggregare.

19 Maximè cum ex traditione Joachimi Abbatis (c), & aliorum, sibi promissum supra Lunam Imperium Liliorumque suorum efflorescentiam augurentur, indeque omen sumere soleant, se Turcas, & Ottomanos subjugaturos, ut serio Balthasar de Vias (d) scriptum reliquit, & in una ex suis Sylvis his carminibus innuit.

Ac nisi me fallant, quæ pendent omnia fusis,  
Jam fessa casura manu, vix Thracia Phebe,  
Bis quater in Turcas ostendet cornua lustris,  
Cum bellum furiæque truces, & tristis Erymis  
Auferet Ottomanæ Byzantia nomina genti.

20 Sed vereor ne se hac, quæ jaçtant, divina promissione indignos reddiderint, eive obicem opposuerint, dum pessimum Francisci I. exemplum sequit, cum ipsis Turcis, quos delere debuerant, dexteræ jungunt, execrandisque foederibus adversus gloriosos Hispaniæ nostræ Reges, & alios Christianos Principes mutuam fidem, atque opem obstringunt, sub tremendo, & nefario illo jurejando, cuius turpissimam formulam Busquerius (e), Surius (f), Colluraffus (g), & alii ad literam referunt, & Ego hie transcribere nolo, quia vel ad solam ejus lectionem, vel auditionem cœli (ut i idem Autores piè referunt) obstupescunt, subdentes, plures ejusdem Francisci subditos, eo intellecto, exhorruisse, ac rebellasse, & Antonium Pratum, Magnum ejus Cancellarium, illud sigillare noluisse, aperte professum, sigillum in hanc usum sibi concretum non esse, & se prius mortuum

(t) Orationes pro hoc à Turcis quotidie fieri refert Carolus Garsias in lib. de opposit. Gall. & Hisp. in prefat. & vide alia de utilit. hujus confederationis apud Honor. in Theat. Polit. 2. part. fol. 26. & 27. & Warenum. in tractat. de foederibus, pag. 55.

(a) Cassan. supr. pag. 263.  
(b) Bzovius. ann. 1495.  
(c) Joach. Abbas supr. Isai. cap. 3.  
(d) Vias in Sylva ult. pag. 419. in gloss. & in carm. pag. 381.  
(e) Philip. Busquerius Francisc. in orat. de terra Sancta.  
(f) Surius ann. 544.  
(g) Colluraff. in Disingannis politicus.

(s) Zipæus in Pegmat. pag. 225.  
(x) Borrel. de præst. Reg. Cathol. num. 46. ex num. 23.  
(y) Cassan. de Jurib. Sall. lib. 2. cap. 5.  
(z) Zipæus contra Cassan. pag. 260.

tuum fuisse optare, quām infandam hanc actionem videre, & in tempora adeò infelicia, & deplorata vitam protrahere. Quod tamdem idem ipse Franciscus serio, serò licet, agnovit, dum in extremis agens, ut ipsius Gallia Scriptores, & alii (b) passim literis produnt, ob impium hoc scelus altum ingemuit, & ferè divinæ miserationis desperatus, occubuit.

21 Est enim, & esse debet apud omnes Catholicos, & Orthodoxos Principes, hæc Regula cum primis servanda, Christianisque pectoribus insculpanda, ne se ullo modo Turcarum infidelium, hæreticorum, aliorumve Fidei hostium actionibus, vel communicationibus misceant, aut eorum ope, & auxilio in suis bellis utantur, maximè ubi contra alios Christianos præliandum est, nisi id justitia belli, & præcessæ defensionis necessitas velut ab invitis extorqueat, ut post Oldradum, & Speculatorum, omnes utriusque censuræ Auctores statuunt, quos Ego alibi (i) latè concessi, post Osasum, qui de hoc articulo peculiarem disputationem scripsit, quām post suas decisiones Pedemontanas attexuit, & idem, ex Politicis Cochierius (k), Brancalassus (l) Bessoldus (m), Marquez (n), Armacanus (o), & alii (p) sentiunt, & pluribus rationibus, exemplis, & testimoniis Sacræ Scripturæ, & Piorum Auctorum comprobant.

22 Quicquid Hugo Grotius (q), Joannes Wunserus (r), & alii hæretici, aliquas in hoc extensiones admittant, quos, ut deficerent alia, vel illud Anaxandridis apud Athenæum (s) convincere posset, qui Ægyptiorum societatem, & commilitum, ob hanc solam diversæ Religionis, diversorumque Deorum causam, cultumque, his carminibus derectavit, ex traductione Casauboni.

*Vobis cum Ego militare nequo:  
Nec concordes mores nostri sint,  
Nec leges, sed ab irvicem dissident plurimam,  
Tu bovem adoras, illum Ego diis sacrificio:  
Maximum esse nūmen anguillān putas,  
Obsonium verò nos multò lautissimum:  
A stulla tu abstines, ego verò præcipue  
Illam appeto, Canem veneraris, ego verbero  
Sicubi offendam vorantem obsonium,  
Sacerdotes hic omnibus esse partibus integros  
Leges sciverunt: apud vos, ut constat, omnes sunt delibati,  
Tu felem si male habentem videris,  
Ploras: Ego autem occisum maxima cum voluptate excorio,  
Araneo, mori apud vos maxima dignitas, apud me nulla.*

23 His alia etiam adjici poterunt, quæ doctè in eamdem rem novissimus Saavedra noster (t) animadvertis, pluribus probans, irritos semper, & infaustos exitus eos omnes habuisse, qui foedera cum infidelibus inent, illorumve suppetias ad bellandum expetunt, & asciscunt: & sèpè contingere, ut vel à paucioribus superentur, vel ab infidelibus ipsis, quos in auxilium vocarunt, miserabiliter opprimantur. Ut in Constantinopolitanis Paleologis vidimus, & in Juda Machabeo sacra illius historia (u) testatur.

24 Idem, ipse idem Auctor (x), integrò alio Emblemate de illis ostendit, qui cum junctis viribus inexpugnabiles essent, irvicem inter se debellant, vel mutuum sibi auxilium contra validiorem hostem non exhibentes, ei tandem in prædam cedunt, quod Tacitus (y) optimo exemplo de Britannis agens, demonstrat, quibus ratum fuisse inquit, duabus tribusve civitatibus convenit, ad commune periculum propulsandum, *Atque ita, dum singuli pugnant, universi vincuntur.*

25 Eamdem etiam calamitatem eos experi solere, qui se Potentioribus, & præserit infidelibus, protegendo committunt, ab eodem Auctore (z) dissertè tractatur, & pluribus illustratur, & plenius adhuc à Justo Lipsio (a), Martino Magero (b), & Nicolao Bernegero (c), qui omnia aliorum dicta, & exempla, circa hanc propositionem recoluerunt, nihil antiquis, & recentioribus seculis frequentius fuisse concludentes, quām clientes occasione susceptæ alienæ protectionis, libertatem amittere, ex liberis clientes, ex clientibus servos effectos fuisse, & in pejorem sèpè, ac du-

(b) Sleidan. lib. 15. Scomb. 4. Polit. cap. 36. Mager. de advocat. arm. cap. 7. num. 122. Wums. exercit. 8. cap. 6. pag. 550. Saaved. Emp. 93. pag. 683.  
(i) Ego 1. tom. lib. 3. cap. 4. num. 20. & seqq.  
(k) Coch. in Theor. Polit. lib. 2.  
(l) Brancalass. in arte regnandi. lib. 3. pag. 52.  
(m) Bessol. de fæder. cap. 4.  
(n) Marq. in Gubern. Christ. lib. 2. pag. 311.  
(o) Armac. in Marie Gallico, lib. 2. per tot.  
(p) Mager. & Wums. ubi supr.  
(q) Grot. de Jure belli, lib. 2.

(r) Wums. supr.  
(s) Athen. lib. 7. cap. 17.  
(t) Saaved. Emp. 93. ex pag. 681.  
(u) Machab.  
(x) Idem Emp. 90. ex pag. 665.  
(y) Tacit. in vita Agricol.  
(z) Idem Saaved. Emp. 92. ex pag. 676.  
(a) Lips. 5. Polit. cap. 9.  
(b) Mager. de advoc. armata, cap. 7. num. 144. & seqq.  
(c) Bernegero. ad Tacit. quest. 73. & 206.

duriorem conditionem, & statum deductos. Et ad hanc periculorum plenam Protectionis aleam respicere venustum ilium Æsopæum apogorum, de quo pulchrè Siganus (d), sic inquiens.

*Accipitrem milvi pulsurum bella, columbe*

*Accipiunt Regem, Rex magis hoste nocet.*

*Incipiunt de Rege queri, quia sanius esset,*

*Milvi bella pati, quām sine Marte mori.*

In idemque tendit proverbialis Aristophanis (e) versiculus, *Fefellit ridica vitem, sive, Decepit ipse vineam palus suam, quem plenius intelliges, si quæ jam supra in alio Emblem. diximus, consuleris.*

26 Et hæc etiam considerans Fridericus Mindanus (f), prudenter statuit, tutissimum cuiusque Reipubl. patrocinium esse, rectè agere, jus & justitiam administrare, cum vicinis, cujuscumque illi conditionis sint, pacem, & amicitiam colere, & si quæ contentiones moveantur, placide eas citissimè aequissimis mediis compонere.

27 Quod ipsum est, quod & Ego ipse, Catholicos, & Christianissimos Reges, qui pro tempore regnant, iterum atque iterum hortor (quando mihi nihil aliud præter vota nunc superest) ut maturis consiliis anticipem tot bellorum fortunam excusat, & quos Deus in æquali potentia reliquorum in tota Europa Principum Arbitros fecit, omniumque deribitorum esse voluit, divulso adhuc animos paulatim coalescere sinant, *Cœant in fædera dextræ, junctisque viribus, contra Turcas, aliove infideles, aut hæreticos, arma convertant, & vel exemplo nostri Emblematis moniti, eis in prædam cedere caveant, antiquisque dissidiis, similitudinibus, æmulationibus depositis, aut compositis, ferociantes inter se se motus, atque spiritus comprimit, quos*

*Seu calidus sanguis, seu rerum inscritia vexat.*

28 Quam etiam precationem, æquali pietate, ac verborum elegantiæ Maphæus (g) Cardinalis Barbarinus, postea Urbanus VIII. Pontif. Maxim. ad Divum Ludovicum Galliæ Regem emisit, sic inquiens,

*Nunc, o verticis incola  
Cœlestis, audi quas preces decorum*

*Pallida vultum*

*Religio mereens lachrymis tibi fundit oboris.*

*Irvičie Rex, en Gallia,*

*Juncta est rursus Iberie*

*Sanguinis vincis: Animos & Arma*

*Fat jungant arclum fedus. Heu, quot conficit*

*Europa se discors in oris?*

*Squaleat Pinica tellus:*

*Té devincta vocat Gracia compede,*

*Jordanes vocat, & sacrum*

*Christi sepulchrum vindicem moratur.*

Neque quispiam miretur, quod toties hoc votum inculem, cum ejus, nec dum impleti damna sentiamus, & ut Salvianus (h), inquit: *Melius sit plus probare aliquid, quām necesse est, quām minus forsitan, quām negotio debeatur.*



(d) Sigan. de Reg. lib. 2.

(e) Aristophan. in verp. ad fin.

(f) Mindan. de mandat. Cameral. lib. 2. cap. 20.

(g) Maphæus Cardin. Od. in D. Ludov. pag. 86.

(h) Salvian. de Gubern. Dei, lib. 1. pag. 37.